

D I S S E R T A T I O
INAUGURALIS MEDICA
DE
PLICA POLONICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
MAGNIFICI DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,
SPECTABILIS AC PERILLUSTRIS
DOMINI DECANI
NECNON
CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM
PRO
DOCTORIS MEDICINAE LAUREA
RITE OBTINENDA
IN ALMA AC CELEBERRIMA
REGIA. SCIENT. UNIVERSITATE HUNGARICA,
PUBLICAE DISQUISITIONI
SUBMITTIT
JOSEPHUS OETTINGER,
GALICIANUS TARNOVIENSIS.

Theses adnexae publice disputabuntur in Universitatis
Palatio majori die mensis Junii 1834.

PESTHINI,
TYPIS JOSEPHI REIMEL.

PRAECLARO AC ILLUSTRISSIMO
DOMINIO DOMINO
THOMAE NOBILI DE **NIEDZIELSKI**
DE HUMANITATE OPTIME MERITO,
BENEFACTORI
SVO
MUNIFICENTISSIMO
EXIGUUM HOC
GRATITUDINIS ET SUMMAE VENERATIONIS
MONUMENTUM

CONSECRAT

DEVINCTISSIMUS
Auctor.

D e f i n i t i o .

Plica polonica improprie Trichoma, quod nihil aliud quam pilorum praesentiam designat, magis congrue Trica polon., Cirrhagra, morbus cirrhorum, tricae incuborum, Plica caput medusae, Plica longicauda lateralis; coma caesarea Helotis, germ. der Weichselzopf, Wichtelzopf, Judenopf, die Mohrenflechte, Werb- locke, der polnische Zopf. pol. Kolton v. Gozdziec, sistit morbum in plurimis Poloniae provinciis endemium, praegressis plerumque diuturnis ac universalibus incommodis nervoso-arthriticis, exsudatione humoris lymphatici, glutinosi in locis corporis pilis obsitis, inprimis capitis, pilos firme conglutinantis, ac inextricabiliter implicantis, qui tali ratione nodulos crassos vel glomeres diverso numero, forma et longitudine efformant, terminatur.

O r i g o

Primo Plicam sub regno Leski nigri per Tartaros sub tertia ex Oriente incursione anno 1285 p. C. n. advectam et inter incolas disseminatam fuisse, historia testatur. Propter suam frequentiam demum anno 1599 attentionem excitavit, quo scilicet tempore Laurentius Staringelius, Rector Academiae Zamoscensis consilium facultatis medicae Patavinae, utpote pro morbo novo, expetiit. Quid vero rescripserat Hercules Saxoniae et Thom. Minados Galeni hypotheses indigestas redolet. Ab eo tempore multi medici hujusce morbi naturam determinare conati sunt, quae hucusque qua problema indissolutum mansit.

Notionem uberiolem tam historiae, quam litteraturae comparare cupienti, largus offertur fons in operibus J. Frank, F. E. Chromy, Hecker, et praecipue in opere M. F. Ogoneczik de Zakrzewski, medicinisch-litterarische Geschichte des Weichselzopfs Wien 1830.

Hypotyposis.

Morbus hic non semper eadem ratione initium sumit, mox cum, mox sine prodromis; attamen casus ultimi rariora sunt exempla, ubi morbus subito sine praegressis molestiis sub capitis sudoribus erumperet, ac illico qua plica efformata in conspectum veniret. Hanc originis diversitatem cel. G. A. Haase a vario geneseos modo, num a praegresso immediate applicito contagio, vel qua sequela passionis alicujus internae, chronicæ systematis lymphatici (ad modum herpetis); passim et inde in quo statu systema lymphaticum generatim antea erat, derivandam esse putat. Ilisce prodromis a diversis auctoribus diversissima adnumerantur symptomata, quae proprius considerata pro parte ad generalem systematis reproductivi affectionem referenda, pro parte autem vehementis ad caput congestionis signa, quae morbi eruptioni praecedunt, et secundarie etiam normales cerebri functiones, organorum, sensuum, generatim systematis cerebralis, manifeste turbant. Praecipua et constantiora sunt: dedolatio, lassitudo, inertia, dolores tensivi et lacerantes artuum ossiumque, organorum digestionis functio laesa, nausea, pressio in regione ventriculi, vomitus, tensio et spasmi in abdomine, flatulentia, ructus, alvi obstipatio, mensium anomaliae, molimina haemorrhoidalia, aversio erga cibos alias gratos, et e contra peculiaris appetentia in crematum, vel alios potus spirituosos, vel in nauseosa et degutantia nutrimenta, halitus foetens glandularum salivalium intumescencia, catarrhus pulmonum chronicus, pressio in thorace, urina turbida cum sedimento largo lateritio, vel mucoso, puriformi, vel ejus excretio plane suppressa, fluor albus, sudores foetentes, erysipelas habituale, chronicum, in extremitatibus inferioribus diversae eruptiones, inprimis generis herpetici, in aliis corporis partibus, praeterea animus admodum morosus, melancholicus. His simul capitis congestiones, et turbatae systematis nervosi functiones accedunt. Consequuntur aegri de insolitis congestionibus, calore in capite, cephalaea continua, vehementi, quae praeci-

pue in superciliis sedem suam figit, et profundius in orbitam extenditur, vertigine, capitis integumentorum sensilitate adaucta, somno inquieto, somniis terribilibus; saepe ophthalmiae evolvuntur, oculi rubent dolent, ardent, illacrymantur, visus functio turbata, vident aegri maculas vel nebulam, hemeralopia, diplopia, amaurosis, cataracta, gravedo, strictura, immobilitasque oculi, susurrus aurium, tinnitus vel dolor pungens, vel auditus est debilitatus, ipsa cophosis. Gustus et olfactus eodem simul pereunt tempore. Extremitates naturali exuuntur calore, fornicationis sensus in cute, titillatio in unguibus. Si hoc stadium prodromorum summum evolutionis gradum consequitur, tunc saepe spasmi, motus convulsivi, paralysis variarum partium comparent. Quamobrem etiam secundum observationes plurimorum medicorum a) typhus gravis et chronicus Plicae evolutioni antecedit.

Evolutio Plicae. Haec plicae prodroma diverso tempore durant, nunc uno oculi ictu, imprimis praevio somno, diuturniori evolvitur, plerumque per plures menses vel annos et secundum Chromy et J. Frank nonnunquam et per 10 vel 15 annos. In genere evolutionem hujusmodi febris comitatur, nunc instar intermittens, nunc continuo-rheumaticae decurrens, ac crudeli cephalalgia cum multis sudoribus, iisque foetidis stipata, hinc inde et puerperium, scarlatina, variolae etc. plicae evolutioni ansam dederunt (J. Frank).

Sub ipsius efformatione symptomata modo enumerata continuo augentur, imprimis capitis congestiones vehementiores, et ejus integumentorum inflammatio instans molestant, Plerumque sudor viscidus e parte capillata capitis manans, capillos ad basin conglutinat ac obducit. Interdum vero et absente sudore crines ad apicem intricantur, ac procul dubio haec plica sicca haud raro occurrere solet. Quocunque in casu capilli adeo ad implicationem tendunt, ut si etiam liceat eos, incipiente morbo ad vesperam separare, altero mane iterum intricati inveniantur. Plica

a) Chromy in d. l. §. 15. p. 21. Haase Chron. Krankh. d. B. S. 328. §. 725.

autem formata crinium implicatio nullo pacto solvi potest. Varia autem esse solet figura et inde secundum Alibert diversae denominationes: *P. longicauda*, *P. longicauda lateralis*. *P. l. fusiformis*, *P. l. falci-formis*, *P. l. clavaeformis*, *P. caput medusae*, *P. caput medusae laciniata* et *P. caput medusae cirrhata*. *P. cespitosa* vid. Alib. Tab. VI, VII, IX. Pondus illius ab unciiis quatuor ad libras duas, tresve ascendit. Quamdiu plica adhuc recens est universa superficies cranii a rudiori tactu dolore afficitur, et secundum cl. J. Frank crines ipsi nunquam sensu instruuntur, ita etiam sanguinis plorationem ad fabulas refert. Bulbi aliquando intumescunt ac inflammationis fere signa praeseferunt, capillorum vero diameter eadem manet. In superficie hinc inde achores observantur, pediculi vero sat raro in plicosis occurrunt. Praeter quod haec symptomata eminenter in capite occurrant, tamen nonnullis in casibus etiam ad barbam, ad crines sub axillares vel pubis conspicua evadunt, ubi autem constanter funium formam induit. Plica recens foetorem specificum spirat, antiqua odore destituitur.

Terminationes.

Plica evoluta ut plurimum symptomata universalialia remittere, quin imo evanescere solent; non raro tamen continuant, aut et majori vi saeviunt, quod imprimis tunc contingit, si evolutio imperfecta praecesserit, aut quocunque modo impedita fuerit. Hoc in casu morbus unguibus longe magis infensus observatus est. Generatim levamen a plica evoluta, pro tempore tantum locum habet. Post annum enim unum vel alterum saepe cuncta recrudescent symptomata, donec secunda sequatur crinium affectio. Sunt, qui quatuor, sex, decem morbi accessus patientur. Interea corpus magis magisque labefactatur, habitus aegrorum luridus et fere specificus evadit. In nonnullis ulcera foeda, ad spectu cancrosum, sed lentius serpentina, ad extremitates potissimum comparent. Nec rarum est, genuinum cancerum labia, nasum, frontem, genas, mammas, devastare. Incidit aeger

in febrem lentam pituitoso-nervosam, digestio manifeste languida manet, alvi obstructione, serius diarrhoea dysenterica laborat, urina crassa, turbida, glandularum indurationes. blennorrhoeae omnis generis se associant, musculorum vis infringitur, ac illi extremitatum marcescunt, rigescunt. Tandem sive hydrops, sive scorbutus miserrimae vitae finem imponit.

Idem etiam casus locum habet, si plica incaute abscindatur, quamdiu adhuc et sudatio in capitis integumentis perdurat, quamdiu plica firmiter adhuc adhaeret, nondum mobilis, et nondum ex integro sanis capillis propendet. Autopsia cadaverum parum adhuc luminis super morbi naturam sparsit. J. Frank in cadaveribus hepar semper morbose affectum, nunc enim volumine auctum, nunc scirrhosum, nunc friabile et acinosum conspexit.

D i v i s i o.

Primo in genuinam et spuriam, quae ultima tunc dicitur, si plica e neglecto pectinis usu originem suam sumat; distinguitur tamen a genuina per figuram irregularem capillitium nonnunquam integrum occupans, quod capiti minus adhaereat, mobilior sit, patientia extricari possit, defluvium crinium socium habeat, pediculorum saepe nidum constituat, ac potissime signis universalibus destituatur; hinc merito cum J. Frank pro vitio potius accidentale, quam plicae genuinae species habenda. Quoad formam supra secundum Alibert diversas enumeravimus species, quae tamen in praxi minus essentialis, cum varia plicae forma causas plane accessorias ac nullo pacto ad variam morbi indolem spectantes agnoscat. Summi e contra momenti est plicae divisio in eam, quae ex vitio totius systematis lymph. pullulat (plica secundaria) ac in eam, quae recenter acquisita est, et solummodo periculum universalis infectionis minatur (plica primaria). Praeterea non inanis plicae divisio a periodis suis desumitur, quo sub respectu plicam in reconditam, recenter evolutam et senescentem dividitur. Tandem in simplicem et complicatam.

Inter complicationes venerea frequentius occurrit, imprimis in Lithuania, ubi syphilis inter rusticos, non solum per coitum, sed convivendo (Sibben et Scherlievi instar) propagari solet. Postremo et scorbutica diathesis haud raro cum plica societatem init, quod e gingivarum potissimum conditione, nec non ex haemorrhagiis, utpote plicae simplici non familiaribus, palam fit, tandem in pyreticam et apyreticam, benignam, criticam et malignam.

A e t i o l o g i a .

Nulla aetas, nullusque sexus ab hoc morbo immunis reperitur, vidimusque infantes primum necdum annum attingentes et senes decrepitos, hoc morbo detentos. At haec rara sunt exempla, et in genere plica inter pubertatem et senium obvenire solet. A La-Fontaine plicae connatae exempla adducuntur, quae autem J. Frank minime observavit. Ita et nulla corporis constitutio inde eximitur, hominesque robusti, floridi, obesi, plicam, saltem recentem, summo in gradu exhibentes animadvertuntur. Capillorum color nequaquam in plicam influit. Maxime rustici trichomati subjiciuntur, accedunt mendicantes, sequuntur Judaei, longe minus, saltem in Lithuania, affirmante J. Frank, huic morbo obnoxii, quam vulgo creditur. Neque nobilissimarum familiarum membris parcat. Saepissime vitium haereditarium, et ab avis ad nepotes transiliens, sistit. Causis excitantibus quamplurimae adnumerantur, huc praecipue pertinent frigus, calor, humiditas, victus acris, animi pathemata et neglecta mundities. Quamvis enim Schlegelio causam plicae in Polonorum caput radendi more quaerenti assentiri cum J. Frank non possumus, cum trichoma et in partibus tectis et apud Judaeas crines continuo cooperientes obveniat; attamen frigus, imprimis capiti incaute admotum, multum in plicae generationem influere, non dubitandum. Inde et Poloni non sine peculiari ratione caput plus, quam reliquae gentes, hyemali tempore velamentis varii generis custodire solent. Interea et velamentorum abusus ad plicam excitandam quamplurimum valet. Re-

vera frequentius aestivo, quam hyemali tempore evolvi observatur. Evolvitur autem praecipue in regionibus humidis et uliginosis, in locis scilicet, ubi Vistula vel alia flumina ob frequentes inundationes paludes producant, aut ubi aquae ex nivis liquefactione, aut ex pluviis stagnant et a solo non arenoso aegre absorbentur. Non parvum influxum et victus habere videtur; imprimis caro suilla, aut halices, aliique pisces. Quamplurimum autem animi pathemata, imprimis terror contribuunt. Immundities hic non aliter, quam in reliquis morbis cutaneis agere videtur. Extra autem dubium est, plicam saltem recenter evolutam ac humidam, contagiosam habere indolem. Communicatur imprimis per lactationem, per lectos, vestes et mitras. Plicae per coitum acquisitae nullum habetur exemplum. Ab equis contagium plicae in homines transivisse, haud verisimile est, quamvis trichomatum inter illos, tum inter vaccas, canes, capras, lupos observetur.

Prognosis.

In praesagio hujus mali semper circumspectione opus est, sistit enim morbum rebellem, vix unquam radicitus tollendum. Individua hoc detenta rarissime provectionem aetatem attingunt. Adnotantur tamen circumstantiae faventes, quae prognosim laetiozem reddunt, ita ubi plures causae externae, imprimis infectio, contribuerint, evolutio cito contigerit, recuperandae sanitatis spes major, quam ubi stadium prodromorum longum, evolutio sensim procedit, imprimis si iis continuae affectiones nervorum, tumores oedematosi, glandularum morbi, et sensuum organorum anomaliae conjuncti sint.

Therapia.

Late extensus morbus curam prophylacticam quoque necessariam reddit. Queritur an plica tam in casu individuali, quam in genere praecaveri possit, an non eo perduci possit, ut plane cessaret? Asserit hoc cel. G. A. Richter proponens, ut primo praejudicia et opi-

niones superstitiosae inter vulgus dominantes oppugnentur; huc opinio late divulgata in erumpente plica praeservativum tutissimum contra omnia corporis mala considerandum, pertinet. Ad hanc provocandam diversa adhibentur remedia, speciatim decocta Lycopodii Selaginis, Brancae ursinae, vel etiam mixtio ex oleo sacro et vino albo, unguenta rancida etc. similia, quibus crines inunguntur; hinc inde et inoculatio immediata in auxilium vocatur. Quamobrem a diversis auctoribus varia proponuntur adminicula, hinc major munditiei cura, balnea, imprimis infectionis periculum sollicite vitandum, capitis nimis calida velamenta rejicienda, pectinis frequens usus non negligendus et s. p. Quae a parte regiminis ad hujus exstirpationem contribui possint J. Frank in suo opere Prax. med. nniv. praecep. P. I. Vol. II. § 148. conferre conatus est.

Cura therapeutica. Si vera trichomatis symptomata adsint, plicae eruptio instet, et cum aliqua probabilitate jam plane evoluta cachexia trichomatosa universalis conjici possit, tunc localis crinium metamorphosis potius promoveri, quam impediri debet. Talis aeger a refrigerio se tueatur, evitet esum carnis suillae, piscium sale conditorum; abstineat a capillorum et ungvium abscissione, imo a pectinis usu, quin imo ut J. Frank monet ab itineribus in regiones plicae evolutioni non faventes. Conveniunt balnea, tum vaporis, tum alia tepida, imprimis sulphurea. Non minus cutis transpirationis ratio habenda, huic inserviunt in statu febrili acetas ammoniae, vinum stibiatum, pulvis Doveri et Camphora, in statu afebrili diversa praeparata Antimonii, nonnunquam et Aethiops mercurialis vel antimonialis, alia Hydrargyri praeparata, excepta complicatione venerea, non tantum non juvare, verum et nocere videntur. Item remedia excretionem alvinam sollicitantia, et quidem potissimum Rheum, Cremor tartari, electuarium lenitivum. J. Frank pilulas sequentes cum utilitate saepe adhibuit;

Rp. Extr. Rhei dr. duas

— Aloes soccot. aqu. dr. unam

M. f. pilulae granorum trium.

S. Capiat ad vesp. 6.

Aegre fluentibus haemorrhoidibus Aloe succurrit. E contra iis tumidis molestisque, hirudines applicatae, conspicuum levamen afferunt. Et urinae fluxum promovisse nonnunquam juvabit, hinc Baccae Juniperi communis, sulphur a nonnullis laudantur b) J. Frank cum sulphure extractum Hellebori nigri vel Conii maculati conjungit:

Rp. Extr. Helleb. nigri dr. unam
 Sulphuris puri dr. duas
 M. f. pilulae granorum trium
 S. cap. ter de die tres.

Aliis e contra medicis sulphuris usus nocuisse visus est (Chromy, Richter). Prae aliis autem herba Vincae pervincae antecellit. Datur in decocto, et cl. J. Frank eam sequenti formula praescripsit:

Rp. Herb. Vincae pervincae unc. tres
 Aquae fervidae lib. tres
 Stent in digestionem per noctem
 Mane ebulliant per quartam
 horae partem. Colatura
 DS. Nychtemeri spatio hauriendum.

Externe decoctum herbae Lycopodii Selaginis, quod vulgus interne adhibet, facile autem virtutem drasticam ac emesimiciens, vitandum, pro fomentis ad partem capillatam capitis, cui scopo et Decoct. Vincae perv. et arbuti uvae usi inservit. Extra scopo humores a capite derivandi, sinapismus vel vesicans nuchae admodum pro tempore symptomata levat. Ulcera artificialia, quamvis multam ac foedam largiri solent evacuationem, raro conducunt. Multum autem levaminis adfert emplastrum sive de pice burgundica, sive de galbano crocatum, sive aliud simile, v. g. secundum J. Frank:

Rp. Empl. vesic. dr. sex
 — Conii macul.
 — Assae foet. aa unc. duas
 Malaxentur. Secundum longitudinem totius columnae vertebralis.

b) F. L. de la Fontaine chirurg-med. Abhandlungen verschiedener Inhalts, Polen betreffend Bresl. 1792. S.

Tempore, quo plica evolvitur, aut vix evoluta ut plurimum manifesta praesentis topicæ inflammationis signa adesse solent. Hoc in casu, nisi affluxus versus caput nimius sit, nulla ferme adhibenda pharmaca, si autem gradus altior, hirudines ad tempora, pediluvia, et eccoprotica in usum vocanda. E contra deficientibus ad plicam provocandam viribus vesicatoria vel sinapismus ad nucham, lotio capitis cum vino calido, et internus Antimonialium usus cum Camphora, aut Moscho prosunt. Praeter modo enumerata remedia ingens horum cohors a diversis auctoribus laudatur, huc Aconitum, Conium macul. stip. Dulcam. species lignorum e rad. Bard. Cichor. Gram. saponariae, tarax. spectant. La Fontaine cum hisce et sulphur adæctit, non minus pulverem Plumeri magni habet. Attamen recentiorum pauci in eo ipsum sequuti sunt. Praeterea nonnulli plantarum principio acri instructarum usum faciunt, hisce adnumerantur; decoctum Sassaparillae cum rad. Sap. infusum Stip. dulcam. cui, ut plurimi medici fecerunt, rad. Bardanae, Cichor. Gramin. Tarax. Fumar. addi possunt. La Fontaine etiam succum harum plantarum, recentem cum sero lactis bibere jussit. Insuper trium adhuc plantarum, quibus frequenter medici utuntur, mentionem fecisse juvabit.

Rad. Lapathi acuti cum principio acri aliquem amarorem conjungit. Probabilius ab hoc principio acri activitas hujus radice, ut in pluribus impetiginibus chronicis, ita et in plica polonica derivanda est, plebs in Polonia universim qua remedium domesticum contra hunc morbum, adhibet et fere omnes medici qui de plica polonica scripserunt, ejus effectus bonos confirmant. Adhibetur in decocto ita, ut uncia una et dimidia hujus radice cum libris duabus aquae ad remanentiam unius incoquatur, et haec quantitas intra viginti quatuor horas bibatur.

Alterum remedium est Herba Brancae ursinae, quae quamdiu recens est, quoque principium acre continet. Adhibetur in Polonia partim interne in decocto eadem ratione uti Lap. acut., partim externe ad lavandum caput, quo, ut vulgo creditur, cutis emollitur et pori pro exhalatione plicae aperiuntur.

Ultimum tandem horum remediorum est *Lycopodium selaginis*. Inde plerumque herba, musci clavati dicta, quae decocto Hb. Brancae urs. additur, et huic si pluries aestuaverit, fermenti panis quidquam adjicitur, et totum deinde in loco ad fermentationem idoneo promovetur, deinde bibitur, in usum vocatur. Praeterea etiam interne pulvis semin. *Lycopod.* adhibetur ad scrupulum semis usque ad drachmam semis pro dosi, bis, vel ter de die, vel in forma electuarii vel emulsi.

Tali ratione plica genuina, non vero complicata per stadium exsudationis usque ad illud momentum perducitur potest, ubi exsudatio cessat, et capillorum sanorum suboles insequitur; sed multo frequentius complicatione adsunt, quae singularem respectum merentur.

Saepe enim fit, quod post evolutam plicam supra adducta symptomata nervosa persistent, quin imo adaugeantur, atque talia majus adhuc periculum minantur, quam ipsa plica. Hic penes Antimonialia, Hb. Vinc. perv. Rad. *Lapathi acuti* Branc. urs., *Lycop. Stip. Dulcam.* et nervina, Liquor sulphurico aethereus, Tinctura Succini, *Serpentaria*, et praecipue *Camphora* supersederi non possunt. Hoc in casu quoque a cel. La Fontaine laudatum connubium Sulph. stib. rubr. cum *Camphora* locum habere potest.

Non raro accidit, quod partim per longiorem morbi decursum, partim per copiosiores secretiones locum habentes, vires aegri notabiliter deficient, et generalis corporis atonia conspicua evadit. Sub his circumstantiis omnes medici praeter commorationem in quantum potest aere puro, diaeta bona, large nutriens, cibi animales, olera recentia, vitellum ovi, pro potu bona cerevisia et vinum bonum commendant. Praeterea et tonica hic quoque saepe adplicationem inveniunt, inter quae cortices Peruv. Martialia leviora, et aquae ferratae optime adaptari possunt.

Saepe complicatur cum *Scorbuto* vel *Syphilide*, quae deinde propria, notaque remedia expostulant. Quaestio saepius ventilata et nondum ex integro decisa est: an plica abscindi liceat, nec ne? Licet abscindi, si plica fuerit omnino evoluta, antiqua, sicca, inodora, a capite distans et si sani capilli succrescant; alias summo periculo stipatur illius resectio.

Vidit inde Cl. J. Frank strabismus, amaurosim, contractionem musculorum, suppressionem urinae, convulsiones, et maniam. Indicata rescissio forficum ope absolvitur, prudensque consilium est, non una vice totam plicam, sed repetitis vicibus varias illius partes abscindere, neglecta enim hac cautela, caput facile refrigeratur. Periculum suadente J. Frank optime vitatur, si gossypii quantitas illi resectorum capillorum pondere aequalis capiti, donec usque crines sanis succrescant, imponatur. Ulceribus plicosis cum successu sive emplastrum sive infusum, sive unguentum Conii macul. applicatur.

In stadio reconvalescentiae principalem respectum mundities exposcit; hinc balnea tepida saponata, cum Kali vel sulfure, tandem et ferrata, causae occasionales vitandae sunt, nam dispositio etiam superato morbo manet, diaeta nutriens et si necesse fuerit et remediorum tonicorum usus.

L i t e r a t u r a.

- A**uctores praecipui, praeter eos, quorum in decursu hujus opusculi mentio facta est, sunt:
- L**arrey u. Boyer über d. Weichselzopf. Aus d. Bulletin des sciences medicales, parla société med. à Paris Fevrier 1808.
- J. Frank** Acta clinica an. 3. 4. 5, 6. Lips. 1812 p. 39.
— — Memoire sur l'origine et la nature de la Plique polonaise. Vilna 1814.
- Practische Abhandlung über den Weichselzopf**
Wien 1790.
- J. F. Hoffmann**, Beschreibung des Weichselzopfes, nebst einer Anweisung, wie man sich in dieser Krankheit verhalten müsse, um davon zu genesen, Königsberg 1792,
- Wolftam**, Versuch über die höchstwahrscheinliche Ursache und Entstehung des Weichselzopfes. Erfurt 1810.
- E. Bondi**, Pathologie des Weichselzopfes. Berlin 1728.
- M. Gembitzky**: de singulari pilorum vegetatione morbosa etc. Erford. 1808.
- Neumann's** Beitræge zur prakt. Arznm. p. 221.

Theses defendendae.

1) Plica polonica est morbus processus vegetativi qualitative alienati.

2) Idem morbus, qua Syphilidis modificatio minime habendus, summam potius affinitatem cum arthritide habet.

3) Morborum contagiosorum exituum diversitas partim a contagii indole, plus a genio regnante, quamplurimum autem a constitutione individuali dependet.

4) Morbi catarrhales inter infensissimos numerandi.

5) Acidi hydrocyanici usus in praxi medica quam maxime restringendus.

6) Typorum in febris intermittente differentia naturam febris non mutat. (P. Frank.)

7) Morborum periodicus recursus a systemate nervoso derivandus est.

8) Partus serotini possibilitas non est neganda.

9) Morbi catarrhales aequae ac rheumatici sic dictis diaphoreticis saepe exasperantur.

10) Frigus debilitat.

11) Amenorrhoea in Chlorosi potius effectus, quam causa esse videtur.

12) Absoluta mortis signa, praeter putredinem universalem, non dantur.

PHILOSOPHY

The first part of the paper discusses the nature of the problem. It is argued that the problem is not merely a matter of fact, but a matter of principle. The second part of the paper discusses the various solutions that have been proposed. It is argued that the most promising solution is the one that is based on the principle of...

The third part of the paper discusses the implications of the proposed solution. It is argued that the proposed solution has several advantages over the other solutions. First, it is based on a principle that is widely accepted. Second, it is a simple and straightforward solution. Third, it is a solution that is based on the principle of...

The fourth part of the paper discusses the conclusion. It is argued that the proposed solution is the best solution to the problem. It is based on a principle that is widely accepted, it is a simple and straightforward solution, and it is a solution that is based on the principle of...